

quenter usurpantur; neque periculum est, ut confundantur cum participiis *kikas*, *kiksa*, propter vocalem phonicam *a*, quae est ante radices *kas* et *ksa*, quae phonica, ut supra dictum est debetur particulae *kaa*. Interdum *ksanka* supprimunt particulam *kaa* etiam ante participia verborum compositorum cum verbis *kasni* et *ksani*, et aliorum verborum: sic ex verbo *kaswunikitni*, *ita longum tempus est* habentur participia non consociata cum particula *kaa* *kakaswunikit?* *quam longum tempus fuit?* *ktsakaswunikit?* *quam longum tempus futurum est?*, quae aequivalent adverbio latino *quandonam?* relatum ad praeteritum et ad futurum tempus.

In primis tribus exemplis propositi schematis evidenter apparet particulam *kaa* aequivalere pronomini *quinam*, *quonam*, *quodnam*. Sed et in aliis exemplis eandem vim habet particula. Etenim *quantumnam*, *quotnam*, *ubinam*, *quandonam*, aequivalent respective *quonam quantitas*, *quonam totalitas*, *quinam locus*, *quodnam tempus*.

Notandum est in ultimis duobus ex allatis exemplis particulam *kakil* significare *ibi*, et particulam *kasensal* significare *tunc*, quae particulae sub influxu particulae *kaa* evadunt respective *ubi* et *quando*. Verum ipsamet particula *kaa*, nulla alia comitante particula, ex se significare potest *ubi* et *quando*, si verbum implicet notionem loci vel temporis. Sic ex verbis *sausakani*, *est alicubi*; *ukanage*, *eo aliquo*, *uniluat'ti mitto aliquem aliquo*, prodeunt *kaas ksausaka?* *ubi nam moratur?*; *kaa kinakanam?* *quonam is?*; *kaa kiniluat'tap*, *quonam me misisti?* vel *quandonam me misisti?* pro diversitate adiunctorum sermonis. Imo cum ipso verbo *uninni*, *sum*, particula *kaa* significare potest *ubi* e. g. *kaas kiin?* *ubinam est?*; quae tamen formula significare etiam potest *quinam est?* e. g. *tus equus*, *tua domus*, etc. Quod mirum non est, quia pronomina, cum sint nomina adiectiva, habere possunt etiam vim adverbii.

Cognita vi significativa quam habet particula *kaa* sub interrogatione, investigandum est quid ipsa significet citra interrogationem. Primo dicendum est particulam *kaa* etiam citra interrogationem aequivalere pronomini *quinam*, *quonam*, *quodnam*. Verum animadvertendum est particulam *kaa* citra interrogationem non coniungi cum participio modi indicativi, sed cum forma con-